

2083 alle Centenere.

RIBIV  
MIN  
AVD

Descripti.

2084 alle Centenere.

FERIN  
MAR

Descripti.

2085 alle Centenere.

IAR

Descripti.

## XXVI. ACELVM? (Asolo) et vicinia.

Asulanis auctoribus Michaelae LAZZARI (in commentariis pluribus insertis syllogae Calogeranae, quorum unus, etiam separatim editus est addita refutatione Anonymi ex iisdem opusculis desumpta: *due dissertazioni cet. Tarvisii* 1736. 8 pp. 120) et Ludovico GUERRA (*dilucidazione de' marmi, iscrizioni, idoli, simboli egiziani ed altri monumenti di antichità in varj tempi disotterrati e scoperti nella città e territorio di Asolo. Venetiis* 1805 pp. 156) caute utendum est; nam lites de oppidi vetustate, quod cives Acelum contendunt esse, cum inter ipsos et Tarvisanos saeculo XVIII eo acrius agerentur, quod coniunctae fuerunt cum iure cathedrali et ipso controverso ecclesiae Asulanae (v. inter alia de hac lite praefatio ad libellum Iacobi Riscati *motivi storici a favore della chiesa cattedrale di Trivigi e contro la collegiata d'Asolo. Bassani* 1769. 4), ea lites etiam ad inscriptiones pervenit. Auctores duos quos nominavi cum caecus patriae amor quasi dementes rapiat (ita Guerra p. 39 lapidem quendam Tarvisanum suo oppido vindicat propter eam unam causam, quod Tarvisanus ager lapides antiquos nullos habere possit: *è in Treviso trasportato dall'Asolano, non potendo già il fondo Trevisano dar lapidi*), tamen ipsi a fraude videntur abstinuisse; sed antiquas fraudes hic iam saeculo XVI grassatas esse et laetum deinde incrementum habuisse constat et ex absurda imitatione tabulae Genuatis facta Asoli saec. XVI, aucta a posterioribus (v. n. 121\*) et ex iis quae ad Brixianum titulum M. Terentii Pyrami adnotabuntur; nec mihi dubium est etiam titulum n. 122\*, quo uno documento Acelum stabilitur antiquo tempore rem publicam habuisse, initio saec. XVIII in lapide fictum esse. Vellem vidisse Casparis Furlani schedas de Asoli antiquitatibus citatas a Lazzaro et Guerra, ex quibus sine dubio earum fraudum accuratior notitia trahi potest; sunt enim praecipuae earum (n. 121\*. 122\*) cum Furlani nomine nescio quomodo

coniunctae. Quem vidi Patavii in seminarii bibliotheca n. 568 libellum anonymi *breve trattato delle antichità di Asolo*, is et ipse eadem labe affectus est.

Acelum oppidum Venetorum, quod nominant Plinius (3, 19, 130) et Ptolemaeus 3, 1, 30 (*Ἀκεδον* libri), creditur esse id quod nunc Asolo dicitur inter Tarvisium et Feltriam medium, recte fortasse, nam et nomina similia sunt et locus convenit et antiqua ibi est sedes episcopalis commemorata iam a Paulo Diacono (hist. Lang. 3, 26: *Agnellus de Acilio*). Ceterum supra iam dixi aetatis Romanae titulos huic opinioni non magno patrociniari. Nam neque inter domos militum usquam memoratur Acelum (Mogontiacensem enim titulum apud Brambachium n. 947 pertinere constat ad Claudiam Celeiam) et quos hoc capite composuimus titulos, magis ut incertos, quos in his partibus offendimus, a certae attributionis titulis separaremus, quam quod eiusdem rei publicae eos omnes esse existimamus, in regione media inter Feltriam Tarvisium Patavium Vicetiam repertos in locis Quero, Alano, Cavaso, Cossagno, Cornuda, Asolo, S. Hilariae, Fonte, S. Zenonis, Riese, Bassano, valle S. Floriani, Marosticae, hos titulos dico qui examinabit, rei publicae propria indicia nequaquam deprehendet. Nam magistratus qui in titulis subscriptis nominantur recte referentur ad res publicas supra nominatas, et omnino, ut ex titulo n. 2090 colligitur ad S. Hilariae fuisse pagum Misquilemense, ita reliqui quoque nihil obstat quominus existimentur stesisse in vicis pagisve aut Feltriae aut Tarvisio aut Vicetiae aut denique Patavio attributis. Tribus, quae nominantur n. 2090 et 2106, Fabia est Patavinorum; non nominantur autem in titulis adhuc ex his locis in lucem prolatis nec Menenia Feltrinorum Vicetinarumque nec Claudia Tarvisanorum.

2086 prope Marosticam nuper rep. URSATUS 1675.

GRANIA  
BACCHIS  
DEANAE  
DO · DE

Servavit Ursatus *marmi erud.* 1719 p. 213, cui misit Clemente Marosticanus (inde Mur. 35, 8; Maccà *iscr. sacre* p. 59; Furlanetto *lap. Pat.* p. 17 n. 15; Schio *Vic.* p. 117, qui sine causa habet pro falsa).

2087 Asoli LAZZ. In angulo moenium non procul ab arce COD. SEM. PAT. Rep. in ecclesia S. Salvatoris a. 1714, deinde in aedibus Furlani, sed ab heredibus eius pessumdatus GUERRA.

cod. sem. Pat.:  
GENONE · FANVM  
DEDIT

Lazzari:

IVNONI MAGNAE  
MI · F/A//EVS  
DAR//N///  
V·S·L·M

Guerra:

IVNON...A...  
M·F·AHLVS...  
DARIINS...  
V·S·L·M....

Cod. sem. Patav. 568 f. 17', si quidem eadem est; Lazzari apud Calogerà 40 (1749) p. 408; Guerra p. 79 ex schedis Furlani. Male descripta potius quam tota ficta.

2088 archa nobilissima di pietra, ad S. Floriani prope Marosticam in valle in aedibus archipresbyteri CALD. In aede D. Floriani adservabatur, nunc vero integre corruptum in area sacrorum praefecti divagatur CERCH. In muro ad ecclesiam parochialem MACCA.

TI · CLAVDIO · CAESA  
M · SALONIV...ES

Duo exempla extant, editum in *Itinerario ovvero nova descrizione de' viaggi... d'Andrea Scoto novamente tradotto... ed accresciuto Vicetiae* 1615 f. 4 (inde Reines. 3, 17) et Caldogni n. 12. Ab his pendere videtur Castellini f. 118 (in ed. deest), qui videtur sumpsisse ex itinerario; pendent certe Cerchiarum f. 107 et Schio p. 115. Particulam vidit Maccà *stor. del terr. Vic.* 14 (1816), 386.

1 CAES itit. — TI · CLAVDIO · CAESARI | M · SALONIVS · SVPERSTES Castell. — Maccà non reperit nisi fragmentum cum tribus his litteris magnis et pulchris: ESA.

2089 lapis elegans recens erutus in pago S. Zenonis [4 m. p. ab Asolo proxime pagum Paderno], extat apud magnificum Hier. Roverium BURCH. Periit LAZZARI apud Calogerà 40, 386. — Paderni in agro Tarvisino MUR. errore.

L · RAGONIO · L · F  
PAP · TVSCEN  
QVINTIANO · C · I  
OB · HONOREM  
5 TOGAE · VIRILIS  
VERECVNDIVS · SER  
DOMINO · OPTIMO

Servavit Burchelatus hist. p. 502, a quo pendent reliqui: Mur. 739, 6; Lazzari apud Calogerà 40 (1749) p. 339; Orelli 2701; Pulieri p. 209.

Cf. tituli Opiterginus supra n. 1970 et urbanus Grut. 463, 2 = 580, 11: *L. Ragonio L. f. Pap. Urinatio Tuscenio Quintiano domino ob honorem togae virilis Ofellius ser. ark.*